DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS JONES EVANS,
HIBERNUS,

SOCIET. CHYMIC. NEC NON,

SOCIET. PHYSIC. AMERICAN. SODALIS.

Nisi sincerum est Vas, quodcunque infundis acescit.

HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVIII.

Viro honeſtiſſimo

GULIELMO BAKER,

ARMIGERO,

Apud Liſimacue,

In Comitatu Tipperarienſi,

Degenti;

Nec non,

EDVARDO MOORE,

ARMIGERO,

De Mooresfort

In eodem Comitatu,

Juriſconſulto,

Vitae integerrimo ;

EDVARDO MOORE,

ARMIGERO,

De Moorefield,

In codem Comitatu,

Juriconsulto,

Viro integerrimo,

Denique,

Conſanguineo ſuo,

SAMUELI EVANS, M. D.

Artem Apollineam,

In oppido Tipperarienſi

Feliciter exercenti,

Hoc Tentamen Medicum Inaugurale,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

Lubentiſſime offert

GULIELMUS JONES EVANS.

Denique,

Conjungunto Duo,

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

CUM leges hujuſce Academiae celeberrimae unicuique, quem deſiderium ſummos in medicina honores attingendi teneat, aliquid exarandi, et in vulgus edendi, neceſſitatem imponant, dyſpepſiam potius, quam ullum alium morbum, paucis exequi decrevi, ſequentibus inductus; quod ſeculum, quod labitur, ob luxum et intemperantiam nimia, potiſſimum vero ob liquores debilitantes et narcoticos, ut infuſa theae et coffeae, qui in uſu continuo ſunt vicemque diaetae magis ſolidae et ſalubris praeſtant, ei magnopere objicitur; quod mortales, quos occupat, graviſſime exer-

cet, vitam illis aerumnoſam animumque ſaepe moeſtum efficiens; et quod, denique, ſi diu maneat, multis aliis morbis periculoſiſſimis fundamenta pro certo fere jacit. Haec autem plane oſtendunt, quam neceſſarium ſit ut medicus omnis, qui generi humano utilis eſſe velit, omnia morbum, qui tot aliorum fons et origo eſt, et in miſerandos mortales tantopere ſaevit, ſpectantia rite intelligat.

DEFINITIO.

Non parum difficile eſſe videtur definitionem hujus morbi ſatis claram excogitare. Plurimi enim morbi, qui ſyſtema corporeum invadunt, plus minuſve noxarum ſuarum ad ventriculum ipſum diffundunt, et igitur nonnihil ſpeciei hujus morbi prae ſeſe ferre poſſunt. Hoc evidenter in cauſa eſt, cur plerique noſologorum definitiones dyſpepſiae perquam obſcuras tradiderint. Cullenus celeberrimus ſolus talem in medium protulit, qualis ad eam ab aliis morbis ulla claritudine diſtinguendam

guendam accommodatur. Eam igitur, aliorum noſologorum propriis ſilentio praeteritis, abſque ulla mutatione adhibebo. Ita autem ſeſe habet, ‘ Anorexia, ‘ nauſea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia, pauciora ſaltem vel plura horum ſimul concurrentia, plerumque cum alvo addſtricta, et ‘ ſine alio vel ventriculi ipſius vel aliarum partium ‘ morbo.’

HISTORIA MORBI.

Diſſertationem noſtram in nimiam longitudinem produceret, ſi hiſtoriam omnium ſignorum, quae hoc in morbo oriri ſolent, accuratam et ab omni parte abſolutam tradere conaremur. Igitur nihil aliud, quam praecipua tantum recenſebimus; curam tamen adhibebimus, ne breves eſſe laborantes obſcuri fiamus.

Morbus ab appetentia cibi imminuta incipere ſolet. Ventriculus, quanquam nihil cibi recens ſumptum fuit, diſtenditur, et animus nonnihil moeſtitiae ſibi obrepentis

pentis ſentit. Robur corporis gradatim labefactatur. Æger langueſcens motum omnigenum averſatur. Solida ſimplicia magis magiſque relaxantur, et vis nervoſa magis magiſque debilis evadit. Alimenta ſine appetitu capta parum accurate concoquuntur. Spiritus ventriculum totumque quidem canalem alimentarium inflare incipit, ſpaſmos, dolorem, anxietatem, et etiam tormina progenerans. Humor limpidus in fauces oſque ipſum frequenter rejicitur. Eodem quoque non raro aſcendunt acida et putrida, quae ventriculo continentur. Exempla non deſunt, ubi, paucis horis a prandio ſumpto, cibus ipſe in os rejicitur, et fruſtulatim expuitur. Nec deſunt, ubi rurſus devoratur, vel ruminatio incidit. Nonnunquam ſubeſt cordis palpitatio, et ſpiritus creber et difficilis. Caput aliquando dolore, qui nonnullos aegrotantium graviter et fere perpetuo exercet, et vertigine, quam tantam eſſe novimus, ut ea laborantes vacillaverint, tentatur. Cibus, pro natura ſua, modo nimis aſceſcit, modo nonnihil putreſcit, cardialgiam moleſtiſſimam excitans. Diarrhoea, rebus ita ſe habentibus, accedens, quod aliquando fit, magno levamini eſt. Alvus vero plerumque magnopere adſtricta

eſt,

eſt, et dolores colici urgent. Quantum ad pulſus arteriarum attinet, in nonnullis exemplis tardi ſunt, in pleriſque crebri, in omnibus debiles, et in non paucis intermittentes. Impetus ſanguinis adeo diminuitur, ut ad vaſa extrema vix propelli videatur; parum enim, quin in his ſtagnet, evidenter abeſt, ut livor faciei tumorque, et ſpecies, quam prae ſeſe fert, inſolita abunde teſtantur. Quinetiam perſpiratio non parum diminuitur. Rem ita ſeſe habere demonſtrant cutis ſiccitas et contractio. Calor corporeus infra gradum ſanitati proprium et naturalem ſubſidit; namque hoc morbo colluctantes corpus univerſum, praeſertim ejuſdem extrema, praeter conſuetudinem frigida eſſe queruntur.

Cum morbus huc uſque progreſſus eſt, exercitationem, utcunque modica ſit, excipiunt ſenſus gravitatis et laſſitudinis, cordis palpitatio, ſpiritus ſolito celerior. Ægrotantibus caro laxa et admodum tabefacta, cutis omni in loco pallida, oculi hebetes graveſque, lingua albida evadit, et in hanc totam materia viſcida ſemet diffundit. Labia colore ſolito ſanoque deſtituuntur, et ſpiritus faetorem intolerandum habet. Ægrotus miſe-

randus

randus per totam noctem saepe vigilat, somnum reficientem fruſtra exoptans ; et, si in eum tandem illabitur, somnia horrenda eum turbare non cessant. Uvula, velumque palati pendulum, quibusdam in exemplis, adeo relaxantur, ut summam aegroto molestiam faceſſant.

Animus saepe non minus morbo, quam corpus afficitur. Iners evadit. Nihil abstrusum reconditumve attente prosequi aut cogitare potest. Ex vivido et vigente debilis et tardus, e miti et placido irritabilis et iracundus evadit, potestate ideas associandi et conjungendi magna ex parte destitutus. Nonnullis in exemplis, aeger magnopere contristatur animumque despondet ; in pluribus vero moestitia metusque non in eum invadunt.

Irritabilitas corporis quotidie magis magisque intenditur. A minimo etiam terrore aegrotantibus incusso noxae graviſſimae oriri consueverunt, ut agitatio corporis animique violenta, tremor universus, motus canalis alimentarii peristalticus modo inversus, modo acceleratus, et igitur vomitio vel diarrhoea. Secretio sali-

vae

vae nonnunquam magnopere augetur, et ex ore, quaſi mercurius adhiberetur, profunditur, quod glandulae ſecretioni ſalivae inſervientes mirum in modum relaxantur. Ventriculus non raro adeo debilis et irritabilis evadit, ut minima etiam cibi quantitas eo peſſime ſedeat, et ſaepiſſime rejiciatur. Inteſtina ipſa eodem modo aliquando afficiuntur, et cibus recens ſumptus per ea crudus et incoctus celeriter tranſit.

Ad extrema jam ventum eſſe, et mortem non longe diſtare evidenter demonſtrant ſigna ſequentia; ictus arteriarum admodum debiles, celeres, abnormes; animi deliquia, ſudores nocturni, diarrhoea gravis et digerens; tanta vaſorum exhalantium debilitas aut paralyſis, ut humores ſeroſi in diverſa corporis cava effundantur, ut crura, manus, facieſque intumeſcant, et caeterae hydropis notae, magnis et acutis abdominis doloribus ſtipatae, accedunt.

DIAGNOSIS.

1. Primum ſummi momenti eſt, ut dyſpepſia idiopathica et ſymptomatica a ſe invicem accurate diligenterque ſecernantur; namque illius et hujus curatio magnopere differt. Haec, niſi morbo primario ſublato, depelli nequit. Illam idiopathicamve ſubeſſe demonſtrant, nulli alii morbi corpus eodem tempore tentantes, cauſa, unde morbus proficiſcatur, recta in ventriculum ipſum agens, et non diffitam corporis partem prius afficiens. Si haec vero adſit, eam plerumque antecedet morbus primarius, vel dyſpepſia una cum hoc accedet et decedet. Podagra quidem excipienda eſt, quae dyſpepſiam ſymptomaticam non praecedit, ſed eam ſecum adducit.

2. Non parum ſimilitudinis inter ſchirrum pylori et dyſpepſiam intereſt. Ille vero ab hac, ſine magna difficultate, diſtingui poteſt. Namque in illo ſemet oſtendunt

dunt dolor perpetuus et circa partem laborantem fixus, qui preſſura ſemper intenditur; nonnihil tumoris, quod digitis regioni epigaſtricae admotis nonnunquam plane percipi poteſt; ſenſus caloris vix unquam ceſſans, vomitio frequentior, major alvi durities; quae diſcrimen inter duos morbos ſatis planum perſpicuumque conſtituunt.

3. Dyſpepſiam magnopere reddit chloroſis. Namque ſigna non pauca utrique morbo ſunt communia, ut idem fere cutis pallor vel decoloratio, venae minus plenae, vel ſanguis ad vaſcula extrema non rite propulſus, aſthenia, cordis palpitatio, et multa alia. Tumor vero corporis mollis in chloroſi conſtanter ſubeſt, qui nunquam in dyſpepſia, niſi inveteravit et longa provecta eſt, accedit. In illa quoque notae omnes cachexiae ſunt magis evidentes magiſque graves. Dyſpepſia colluctantes anorexia perpetuo infeſtat; quae vero chloroſi laborant, eae cibum avidiſſime appetunt, et ſummo rei non eſculentae deſiderio tenentur. In his menſtrua ſaepe retinentur, quod in illis non accidit, ſaltem non ſaepe.

4. Proximum eſt, ut dyſpepſiam ab hypochondriaſi, quantum in nobiſmet eſt, dignoſcere conemur. Quantum ad temperamenta, quae evadunt, magnopere diſcrepant. Illi ſanguineum proprium eſt. Hoc autem adeſſe teſtantur ſequentia, ſolida laxiora minuſve rigida, pili molles et ſuccoſi, arteriae ampliores, humorum redundantia, vultus rubicundus, ſyſtema nervoſum inſigni ſenſibilitate praeditum; mobilitas, irritabilitas, debilitas, majores. Huic melancholicum proprium eſt. Qui hoc vero praediti ſunt, ii hujuſmodi ſunt. Solida rigidiora, pilos duriores, humores minus abundantes, et igitur plus ſiccitatis et maciei, arterias minores et pallidiores, irritabilitatem modicam habent, ad impreſſiones quaſlibet recipiendas tardi. Quinetiam ſtimulantia omnigena, niſi magna quantitate adhibeantur, in eas parum potenter, ob irritabilitatem minorem, haud dubie, agunt. Ira reliquique animi affectus violentiores minime facile illis moventur; ſi vero ſemel concitati fuerint, eorundem, praeſertim ultionis, tenaciſſimi eſſe reperiuntur. Ita inter ſeſe diſcrepant mortales, qui ad dyſpepſiam et hypochondriaſin ſunt proclives. Inſuper, ſigna hujus et illius, quamvis plurimum ſimili-

tudinis

tudinis inter ea intercedit, nonnihil a se invicem differunt. Qui hypochondriasi laborant, ii acore et inflatione gravioribus forsitan, anorexia rariore, affectibus spasmodicis violentioribus, morsibus ventriculi crebrioribus, metu moestitiaque multo majoribus, infestantur. Itidem, quantum ad causam proximam attinet, dyspepsia et hypochondriasis discrepant. Illa ab atonia ventriculi et relaxatione pendet, haec a mero systematis nervosi torpore. In illa denique alvus modo dura, modo fusa; in hac vero constanter adstricta est.

5. Tantum restat, ut dyspepsiam a podagra atonica distinguamus. Namque, si ulli alii morbi sunt, qui dyspepsiae aliqua ex parte similes sunt, limites angustiores dissertationi hujuscemodi praescripti nos eos attingere vetant. Quantum podagram atonicam spectat, eam a dyspepsia idiopathica dilucide accurateque distinguere non parum difficile esse videtur. Sequentia vero forsitan ad dubitationem nostram de natura morbi, qui adest, tollendam aliquantum conferent. Dyspepsia plerumque tarde accedit, et a causis, quas sagacitas aegrotantis ipsius detegere potest, proficiscitur. Podagra vero

vero ſubito invadit, a nulla cauſa evidente oriens; et ventriculum gravius exercet. Quinetiam rei lumen offundet, judiciumque medici in natura morbi comperienda juvabit, ſi pro certo memoria teneatur, qualibus morbis aeger ante laboraverit, utrum ad podagram necne fuerit proclivis, et utrum denique haecce proclivitas a labe haereditaria necne profluxerit.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae autem, Culleno judice, illo cauſarum morborum indagatore feliciſſimo, duplices ſunt.

1. Quae in ventriculum ipſum recta agunt.

2. Quae in partes ſyſtematis a ventriculo magis minuſve diſſitas prius agunt, deinde noxas ſuas ad eum diffundunt. Ab illis dyſpepſia idiopathica, ab his ſymptomatica, oritur.

Quantum

Quantum eas cauſas ſpectat, quae in ventriculum ipſum recta agunt, et dyſpepſiam idiopathicam progenerant, eae ſubſequuntur.

A. *Sedantia* ſeu *Narcotica*.—Haec autem ſunt talia, qualia in poteſtatem loci, cui applicentur, nervoſam protinus agunt, et eam diminuunt. Si magna quantitate admoveantur, eam ex toto immobilem efficient, vel penitus extinguent. Cum igitur ſubſtantiae hujuſcemodi in ventriculum invehuntur, vim ejus nervoſam, unde vigor mobilitaſque organi ex toto pendent, non diminuere non poterunt. Atoniam autem hujuſmodi factam dyſpepſia brevi excipiat neceſſe eſt. His de actione ſedantium aut narcoticorum in genere dictis, praecipua eorum ſingulatim memorabimus.

a. *Opium*.—Quin hoc effectum quam maxime ſedantem in partem, cui admoveatur, edat, nemo, qui naturam ejus et poteſtatem attentus conſideraverit, in punctum etiam temporis poterit dubitare. Quae experimenta in ranas inſtituenda curavit Monroius jure celeberrimus, ea rem ita ſeſe habere plane evidenterque demon-

demonſtrarunt. Huic fidem ulteriorem comparat mos Turcarum hodiernorum, qui hoc magna quantitate ſumere conſueverunt, ad praelium prodituri, vel multum fatigationis jejuniive ſubituri. Quidnam vero conſtanter incidit! Appetentiam cibi amittunt, et ob hanc conſuetudinem peſſimam, antequam multum aetatis illis acceſſit, irritabiles, debiles, et propemodum paralytici evadunt; inter ambulandum huc illuc quaſi ebrii forent vacillantes, ut in commentariis ſuis memoriae prodidit vir illuſtris et ingenioſus Baro de Tott. Idem quoque probant exempla noſtratium, qui opium nimis liberaliter adhibent. Tonum enim ventriculi illis eouſque perdit, ut dyſpepſia fere continua laborent.

Liquores ſpirituoſi.—Actionem horum opio propriam admodum referre, omnes medici et philoſophi una voce confitentur. Prius vim ſtimulantem, deinde ſedantem evidenter edunt. Recens et copioſe ſumpti, corpus manifeſtiſſime excitant, idem calidum, faciem rubicundam, pulſus arteriarum crebriores et validiores, vim imaginandi magis vividam efficientes, et hilaritatem ſummam jucundiſſimamque moventes. Caeterum, has

exci-

excitationis notas brevi excipiunt, ſenſus diminuti interdumque ex toto ſublati, imaginatio imperio ſanae rationis non amplius ſubdita, vel delirium, ſtupor, ſomnolentia, ſomnus verus, et, hoc tandem finito, ſenſus frigoris univerſus, debilitas, animus demiſſus. Cum collapſus hujuſmodi excitationem modo comprehenſam conſtanter ſubſequatur, evidens et manifeſtum eſt, uſum liquorum ſpirituoſorum immodicum, et nimis frequentem, ventriculum, utcunque valens et firmus ſit, tandem eſſe ſoluturum, et fundamenta dyſpepſiae moleſtiſſimae eſſe jacturum. Omnem quidem ſuper hac re dubitationem ex toto tollunt exempla quotidiana dyſpepſiae ab hac cauſa proficiſcentis. Quam nocivi liquorum hujuſcemodi, ſi intemperanter ſumantur, effectus ſint, neminem fugere poteſt, ſi ſecum attentus conſiderat, ebrioſitatem ſummum corporis vigorem, et valetudinem commodiſſimam, paucis menſibus aliquando, ſed pro certo paucis annis, debilitate infantili, morbis foediſſimis, et ſenectute tremula et praematura, mutare valere.

c. *Nicotiana.*

c. *Nicotiana.*—Haec haud dubie ad atoniam ventriculi et debilitatem progenerandas, quomodocunque adhibeatur, plurimum confert. Sive mandatur, sive forma fumi pulverisve sumatur, non parum injuriae stomacho infert. Si quantitas pulveris etiam minima in ventriculum descenderit, anorexiam et alia signa dyspepsiae propria constanter movet. Hos autem effectus perniciosos viribus stimulantibus et narcoticis, quae ei insunt, manifeste edit. Cuicunque loco interno applicatur, ut ventriculo, canali alimentario, &c. eum prius valde stimulat, deinde vi sua narcotica et sedante afficit. Ita cum collapsus excitationi antecedenti pro rata ratione semper respondeat, debilitas a nicotiana adhibita oriens permagna sit oportet. Nonnulli hanc a jactura salivae, quam facit, cum manditur aut in fumum convertitur, potissimum deduci credunt; sed res aliter sese habere videtur. Namque experientia docet, illis, qui nihil fere expuunt, et eis, qui ea sub forma pulveris utuntur, ex aequo fere noceri.

d. *Thea* et *Coffea.*——Quin vires sedantes igiturque debilitantes his insint, nemo, judicio nostro, qui

qui ſequentia ſecum attentus perpendit, dubitare valebit. Omnes Indi Orientales, qui in his plantis curandis et propagandis ſunt occupati, rem ita ſeſe habere una voce confitentur, et, quod ita credunt, uſu theae et coffeae, niſi in ſpatium annuum prius fuerint ſervatae, cauti abſtinent. Vis enim nociva, qua praeditae ſunt, volatilis eſt, et longitudine temporis diminuitur et mitigatur. Hanc ob cauſam, aliae theae ſpecies minus noxae quam aliae, adhibentibus inferunt; ſed ſolummodo tamen quod alia ratione exſiccantur et praeparantur. Quae ſpecies *Bohea* appellatur, ea magis innocua eſt, quod ferri candentis laminae ſuper impoſita, et hoc modo ſubito exſiccata, magnam poteſtatis narcoticae, quae vi ignea diſſipatur, partem amiſit. Quae vero colore viridis eſt, et *Hyſon* vocatur, ea magis pernicioſa eſt, quod ſub umbra tarde exſiccatur, et igitur plus virtutis narcoticae retinet. Qui ex Indis Orientalibus plurimum temporis in infuſo theae ſorbillando conſumunt, ii ſunt Sinenſes. Quanta vero poena hanc conſuetudinem pravam luunt! Plerique enim eorum vitiis ventriculi, potiſſimum dyſpepſia, laborant, et multo plures, quam apud alias nationes, tremuli et paralytici ſunt. Inſuper, ex quo thea et

coffea in Britanniam fuerunt invectae, dyſpepſia in incolas multo gravius ſaeviit. Nec res aliter ſeſe habere poteſt, cum tantum diaetae quotidianae partem conſtituant. Quod dyſpepſiam, ante centuriam annorum, aut circiter, apud Britannos multo, quam hodie, rariorem fuiſſe teſtatur, id eſt, mentio ejus a medicis ſeculi ſuperioris minime frequenter injecta. Denique, experimentis multorum ſuper hac re inſtitutis ſilentio praetermiſſis, plurimi noſtratium non deſunt, qui non citius pauculos infuſi theae cyathos ſumpſerunt, quam omnibus dyſpepſiae ſignis, manuum tremore, aliiſque notis, quae paralyſin ipſam non longe diſtare indicunt, corripi ſolent. Quidam detrimenta, quae mortales ab infuſis theae bibendis capiunt, non a thea ipſa, ſed ab aqua calida, proficiſci credunt. Haec opinio vero fundamento ſtabili non inniti videtur; namque herbae indigenae in locum theae ſuffectae non eundem effectum nocivum, ut Cullenus teſtatur, edunt.

e. *Acida, praeſertim* ea, *quae fermentationem poſſunt ſubire.*—Haec vires ventriculo convellere multa exempla ſatis ſuperque demonſtrant. Acorem, inflationem, ructum,

tum, cardialgiam, gaſtrodyniam, et reliqua dyſpepſiae ſigna praeſentia non tantum adauxerunt, ſed etiam, ventriculo ante ex toto ſano, revera concitarunt. Atoniam interdum plane progignunt. Cujus exemplum luculentum ſuppeditat vinum Burdigalenſe, quod in aliis nauſeam, in aliis paroxyſmum arthriticum, movere ſolet. Haec autem nunquam, niſi atonia et debilitate prius factis, incidere conſuerunt. Poteſtatibus eorum ſedantibus hoc modo ſtabilitis et demonſtratis tantum reſtat, ut ratio, qua agant, exponatur. De hac alii alia exiſtimaverunt. Quo omnia vero quaſi uno verbo comprehendamus, judicamus, acida hujuſcemodi tantum aëris mephitici in ventriculo, quantum tonum ei nimia, quam dat, diſtentione ſolvere poſſit, explicare. Omnes enim fibrae muſculares ultra certum et definitum gradum diſtenſae tono naturali et ſano orbari conſuerunt. E memoria vero excidere non debet, acida foſſilia, quae fermentationi non patent, in dyſpepſiam plurimum poſſe, et acetum ipſum, ſi omnibus inquinamentis careat, ventriculis non paucis nihil injuriae inferre.

f. *Putrida.*—Cum putredo humorum tantam ſyſtematı ſanguifero debilitatem et atoniam poſſit inferre, quanta gangraenam ſaepe valeat movere, non mirandum eſt, ſi putrida vel ad putredinem proclivia, in ventriculum recepta, vi ſua evidenter manifeſteque ſedante, dyſpepſiam faciant.

B. *Stimulantia.*—Cum haec fibris cujuſlibet partis muſcularibus applicantur, contractiones earundem validiores movent. Igitur tantum abſunt, ut dyſpepſiam faciant, ut in auxilium ejus ſint prompta. Si vero immodice adhibeantur, vel in uſu eorum nimis diu perſtetur, ut fibrae ſemet contractionibus crebrioribus delaſſent faciunt, et igitur non amplius partem, in quam agunt, roborant, ſed eandem plane debilitant. Cum res ita ſeſe habeant, ſtimulantia quaelibet in ventriculum nimis copioſe, nimiſque frequenter ingeſta, ad atoniam ſtomachi, vel dyſpepſiam progenerandam, judicio omnium, plane accommodari videbuntur. Sub his comprehendi poſſunt aromata, cibus plenior, vomitio nimis crebra, nimia ventriculi diſtentio, et immodica alvi purgatio. Non quidem negandum eſt, purgantia magis in inteſtina,

inteſtina, quam in ventriculum, agere, et igitur, ſi draſtica ſint, illorum potius, quam hujus, debilitatem facere periclitari. Memoria vero nunquam non tenendum eſt, ventriculum, inteſtinis infirmis redditis, non diu, ob eum conſenſum mirandum, qui haec inter et illum intercedit, illaeſum manere poſſe.

C. *Tonica.*—His accenſentur amara, ut flores chamomaeli, abſynthium, centaureum minus, &c. Licet haec et ſimilia in dyſpepſiam multum poſſe experientia monſtraverit; in uſu tamen eorum, ut expertiſſimi medici affirmant, diu perſtare haudquaquam periculo vacat. Namque, poſt aliquantum temporis, effectus ex toto contrarios edere incipiunt, ventriculum debilitantia, non firmantia. Utrum vero hoc, more ſtimulantium immodice adhibitorum, vel aliqua vi, quam habent, narcotica, praeſtant, ex toto ignoramus.

D. *Relaxantia.*—Cum humor calorque certo gradu conjunguntur, et alicui parti externae applicantur, eam nunquam non relaxant, et emolliunt. Liquores igitur calidi, magna quantitate et frequenter in ventriculum ingeſti,

ingesti, eum quoque non parum debilitent, et idcirco dyspepsiae fundamenta jaciant necesse est. Ex hoc plane discimus, cur ebriosi dyspepsia perpetua plerumque laborent. Hoc potissimum illis accidere notabile est, qui liquores spirituosos in formam, quae Anglice *Punch* appellatur, redactos liberaliter bibunt, ubi liquor calidus acidumque ei adjunctum potestatem communem relaxantem edunt.

E. *Stimulantium consuetorum absentia.*—Si aliquis certa diei hora aliquantum liquoris stimulantis, ex. gr. cyathum vini adusti, sumere consueverit, et domo absens, vel in aliqua re occupatus, tempus solitum praeterire permiserit, ventriculum sibi turbari, sensuque molestiae spatio brevi, percipiet. Quinetiam saliva succusque gastricus, quae ad concoctionem expediendum haud dubie plurimum, uti experimenta Monroii celebris, Spalanzanii accurati, aliorumque ostendunt, conferunt, immo processum viribus suis solis forsitan perficiunt, parciora evadentia dotibusve mutata, ut dyspepsia oriatur, facere possunt. Bilis defectus in canali alimentario idem praestare potest.

Quantum

Quantum ad cauſas, quae prius in partes ſyſtematis a ventriculo ipſo diffitas agunt, deinde noxas ſuas ad eum diffundunt, attinet, eae numeroſae ſunt, ut affectus animi concitatiores, vita ſedentaria, defatigatio inſolita, ſtudium intenſius diutiuſque continuatum, venus immodica, partus crebriores, profuſiones ſanguinis nimiae, &c. Haec et ſimilia, quanquam partem ſyſtematis diſtantem prius afficiunt, ad extremum tamen ventriculum ipſum fere ſemper magis minuſve laedunt. Neminem quidem poteſt latere, paucos nulloſve propemodum ſyſtematis univerſi affectus ſubeſſe poſſe, quin ventriculus aliquantum detrimenti inde citius ſeriuſve capiat. Quomodo morbi vero partes corporis remotas occupantes, vel ea, quae vires corpori univerſo convellunt, effectus ſuos cum ventriculo communicent, explicatu difficile eſt. Nec hoc mirum, cum tot ſyſtema nervoſum ſpectantia adhuc ex toto ignoremus. Nihil aliud poſſumus, quam per illum conſenſum nervorum mirabilem, qui ventriculum inter et omnes reliquas corporis partes plane intercedit, exponere conari.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Cum omnes cauſae remotae, quarum mentionem fecerimus, quarumque actionem modo expoſuerimus, tono ventriculi inimiciſſimae ſint, et vim debilitantem et ſedantem plane habeant, cauſa dyſpepſiae proxima, quae propago earum vera et communis ſit oportet, haud dubie in atonia fibrarum ventriculi muſcularium et debilitate conſiſtit. Nec illi audiendi ſunt qui morbum a redundantia muci in ventriculo, vel a bile e duodeno in eundem ſurſum propulſa, pendere contendunt. Illa merus infirmitatis ventriculi effectus eſt; haec dyſpepſiam, uti compertum habemus, ſaepe non facit, nec comitatur.

SIGNORUM

SIGNORUM RATIO.

Horum quam breviſſimam explicationem tradere decrevimus, ne id, quod opuſculum tantum eſſe volumus, in nimiam longitudinem producatur.

1. *Anorexiae.*—Cum appetentia cibi a valida fibrarum ventriculi muſcularium contractione pendeat, uti pleroſque inter phyſiologos convenit, anorexia vel appetitus proſtratus a cauſa contraria, earundem, nempe atonia et debilitate, oriatur neceſſe eſt. Quod rem ita ſeſe habere teſtatur eſt hoc, quod, ſtomacho debili et relaxato, appetitus fere ſemper langueſcit; et contra, eodem firmo et valente, plerumque viget.

2. *Nauſeae* et *Vomitus.*—Haec in corporibus valentioribus ab iis ſolis, quae ventriculo irritamento ſunt motumque ejus periſtalticum invertunt, excitari ſolent. In iis vero hominibus, qui dyſpepſia conflictantur, a debi-

litate ſola proficiſci videntur, quae ventriculum adeo irritabilem reddit, ut contenta facillime et ſaepiſſime rejiciat. Cur ita credamus, faciunt ſequentia, quae vim debilitantem habent vomitionemque ſaepe movent, aqua tepida etiam modice pota; ſanguis, potiſſimum copioſe, detractus; ſedantia, ut opium, liberaliter adhibita.

3. *Inflationis.*—Haec ab aere alimentorum fixo per ſuccum gaſtricum et ſalivam explicato, ventriculumque praeter conſuetudinem diſtendente, manifeſte profluit, ventriculis ſanis et valentibus nihil moleſtiae faceſcit, quod ibi, ut multis phyſiologis placet, rurſus abſorbetur; debilibus vero non abſorptus ſummo cruciatui eſt.

4. *Ructus* et *Ruminationis.*—Ille hinc originem deducere videtur, quod aer fixus explicatus tanto ventriculo debili et irritabili ſtimulo eſt, ut motus ejus periſtalticus invertatur, et cardia aperiatur, quod, ut aliquantum aëris elaſtici in oeſophagum effugiat, et ad os uſque aſcendat, facit. Haec ab hac cauſa oriri cenſetur, quod partes alimenti ſolidiores, aëre fixo explicato, flui

di

dis leviores evadunt, ſummum ventriculum petunt, cardiamque irritant, qua tandem per motum periſtalticum inverſum recluſa rejiciuntur, et ad fauces oſque perveniunt.

5. *Cardialgiae.*—Haec ab acrimonia acida putridave interdum forſitan, oſtio ventriculi ſuperiori, jam admodum irritabili reddito, applicata haud dubie proficiſcitur. Cur haec incidat, in cauſa eſſe videtur ventriculi atonia, quae, ut alimenta in eo tamdiu retineantur, eoque fermentationis progrediantur, ut acorem acerrimum gignant, facit.

6. *Gaſtrodyniae.*—Hanc varia movere poſſunt, ut inflammatio, inflatio, acrimonia, &c. In hoc morbo vero a ſpaſmo potiſſimum pendere videtur, qui in ſtomacho atonia et irritabilitate ſummis laborante magnopere invaleſcat oportet.

7. *Alvi plerumque aſtrictae.*—Haec ab ea atonia, quae et in ventriculo et in toto canali alimentario dominatur, ortum evidenter ducit. Debilitas motum periſtalticum

ticum lentum efficit, quod ut ſtercus tarde deſcendat non facere non poteſt.

PROGNOSIS.

Hic morbus, ſi non multum ſpatii jam habuit, facile ſaepe ſanatur. Si ſymptomaticus ſit, et a morbis qui curationem recipere poſſunt, pendeat, idiopathicis ſublatis, ſymptomaticus quoque decedet. Si vero depulſus ſaepe repetiverit, ſi notae magnae et univerſae debilitatis acceſſerint, ut febris hectica, oedema pedum hydropſve alicujus cavi interni, cachexia univerſa, &c. exitum ejus laethalem fore, concludatur oportet.

RATIO MEDENDI.

Quantum ad curationem hujus morbi attinet, memoria ſemper tenendum eſt, rationem victus idoneam, cau-

cauſaſque remotas diligenter curioſeque vitatas, plus in eum, quam medicamenta ipſa, poſſe. Namque ſolida humana ultra modum debitum diſtenta, et tono naturali juſtoque orbata, ad ſanitatem, qua antea fruebantur, difficillime reducuntur.

Conſilia autem medendi tria ſunt ;

1. Cauſas remotas quam maxime vitare.

2. Signa quaedam, quae morbi gravitatem ſoleant intendere, levare.

3. Tonum ventriculo reddere.

Quantum primum conſilium ſpectat, cauſae remotae ſatis fuſe accurateque ſupra commemoratae fuerunt, et igitur facile poſſunt vitari. Et hujus quidem ſumma ratio conſtanter ab unoquoque habenda eſt, ſi hujus morbi in primis moleſti immunis vivere cupiat.

2. Signa

2. Signa quaedam, quae morbi gravitatem ſoleant intendere, levare. Ex his praecipua ſequuntur,

1. *Anorexia.*—Huic maxime occurrunt emetica. Sive ea, quae ventriculo comprehenduntur, et appetitum ſaepe proſternunt, evacuare, ſive tonum ei augere, ſive humores ad ſuperficiem evocare, quo nihil in auxilium dyſpepſiae promptius eſſe experientia demonſtrat, votis tuis reſpondebunt. Si ea, quae ventriculo contineantur, tantum expellenda ſint, mitiora tantum neceſſaria, qualia ſunt theae viridis, chamomaeli, raphani ruſticani, &c. infuſa. Si vero duobus conſiliis poſterioribus ſint accommodanda, ad valentiora decurratur, qualia ſunt ipecacuanha, vitriolum album, antimonialia. Emetica autem tonum ventriculum, ſi modice et non nimis frequenter adhibeantur, corroborare poſſe, experientia docet. Quin eadem curſum humorem cutem verſus facere valeant, et igitur dyſpepſiam multum levare, a nemine, qui artem Hippocraticam callet, ambigi poteſt. Medicum vero magnopere fallent, ſi in uſu eorum nimis ſaepe reiterato perſtabitur; etenim ventriculum non firmabunt, ſed tonum ei ex toto perdent.

2. *Vomitio.*

2. *Vomitio.*—Nihil hujus depellendae adhiberi debet, nisi magnopere urgebit; saepe etenim pro conamine naturae fausto et felici habenda est. In eam lenem, et ab acore similive orientem, possunt emetica leniora, vel pauculae spiritus vini Gallici elixirisve vitriolici guttae, in graviorem opium, interne adhibendum, regionive ventriculi, sub forma cataplasmatis, applicandum; et aliquando, plerisque aliis frustra tentatis, quantitas salis marini modica, medicamentum haud dubie ubique fere parabile. Vomitionem gravem quoque sustulerunt, mistura salina, dum effervescit, data; fomenta, quibus quantitas liquidi laudani, balsamive anodyni, non modica fuit adjuncta, epigastrio applicata, vel enemata multum opii continentia. Idem praestiterunt, epispastica ampla regioni ventriculi admota, cochlearia sex octove aceti puri pro dosi sumpta. Vomitioni etiam graviſſimae dyspepsia laborantium forsitan efficaciter occurrerent doses florum chamomaeli parvulae, e granis duodecim aut circiter constantes, ex intervallis satis longis datae. Namque vomitum, febri Indorum Occidentalium flavae proprium pertinaciſſimum compescuerunt.

3. *Cardialgia.*

3. *Cardialgia.*—In hanc potiſſimum poſſunt, quae acori ſunt inimica, ut magneſia, quae acido ventriculi adjuncta ſalem medium conſtituit, qui alvum leniſſime movet; aqua calcis, quae acidum potenter abſorbet, et ita plurimum juvat; ſales alkalini, &c. His diaeta idonea adjungatur. Haec ex oleribus ſolis conſtare non debet, quoniam acorem nimium progigneret, et vires ventriculo convelleret. Contra, e cibo animali et vegetabili, ut pane bene fermentato, oleribus aliquando, &c. quae nonnunquam aeſtate, quam hyeme, facilius concoquuntur, et igitur minus nocent, tanta quantitate, quantum ventriculus poterit tolerare, conjunctis confletur. Quantum potum ſpectat, ii liquores ſoli in uſum revocentur, qui fermentationem ex toto abſolverunt, et eidem rurſus non patent. Hujuſmodi ſunt liquores ſpirituoſi, modice tantum adhibendi, vina Madeirenſe, vetuſtum et mite Luſitanum. Cereviſia Londinenſis, quae Anglice *Porter* appellatur, plurimis nihil nocet, aetate provectior et bene lupulata.

4. *Gaſtrodynia.*—Hujus a nimia cardiae ſenſibilitate, quam fecerit mucus abraſus, proficiſcentis, optimum prae-

praesidium suppeditant demulcentia et opiata; a spasmo profluentis aromata, antispasmodica, alkali nempe volatile, moschus, aether vitriolicus, gummi foetida, opium. Postremum non saepe adhibendum, quoniam usus ejus frequentior ventriculum solvit, et igitur vim morbi adauget.

5. *Alvus adstricta.*—Omnis purgatio drastica summa attentione fugienda, quoniam tonum canali alimentario magis magisque perderet, et morbum multo graviorem efficeret. Duritiei alvi igitur optime occurrunt, magnesia et aloe; rhabarbarum, nisi alvum postea nimis adstringere, et sulphur, nisi nimium aërem in ventriculo explicare, periclitaretur.

3. *Tonum ventriculo reddere.*—Hoc efficacissime praestant *acida*, ea nempe, quae fermentationem rursus subire non periclitantur, ut vitriolicum et e vegetabilibus destillatum. Eidem consilio respondent *metallica*. Quae e ferro praeparantur, ea in dyspepsiam plurimum posse videntur. Quantitas ferri, quae aquis chalybeatis, uti

appellantur, continetur, ſtomacho infirmo ſaepe utiliſſima eſſe reperitur. Aqua ipſa frigida ſimplex multum ſaepe prodeſt. *Amara* quoque, utcunque agant, ad morbum depellendum plurimum ſolent conferre. Ex iis optima ſunt, radix columbae et gentianae, chamomaelum, abſynthium, centaureum minus, cortex Peruvianus. Haec omnia ventriculo facilius ſedebunt, ſi cum aromatis, ut cortice aurantiorum, cinnamomi, &c. conjungentur; palatum enim ipſumque ventriculum minus offendent ita parata. Ne nimis diu in uſu eorum perſtetur, ni effectus tandem debilitantes edere incipiant. Quantum ad corticem Peruvianum attinet, ſubſtantia detur, ſi hanc ejus formam poterit ferre ventriculus, quoniam hoc modo datus atoniam citius certiuſque depellet. Animus aegroti omni ratione exhilaretur. Nihil enim curationem ejus magis, quam moeſtitia, retardat. Ad balneum frigidum, quod univerſum corpus, et ventriculum igitur in reliquis partibus, corroborat, nunquam non confugiatur. Exercitatio denique neglectui nunquam habeatur. Reliquis ejus generibus praeſtant ambulatio et equitatio. Semper modica

dica et citra defatigationem fit. Plurimum proficit, perſpirationem augens, tonum vaſis extremis concilians, et ventriculum igitur per conſenſum toties ſupra comprehenſum manifeſte evidenterque corroborans.

FINIS.

dica et citra defatigationem fit. Plurimum proficit, perfpirationem augere, totum vafis extremis concinnare, et ventriculum igitur per cuticulam toties irritatum comprehendum manifefte evidenterque corroborare.

BRITISH MUSEUM